PAEDAGOGII REGII ILFELDENSIS

EXAMINA SOLEMNIA

DIEBUS XXVIII ET XXIX M. MARTII MDCCCLX

CELEBRANDA

INDICIT

ASCHENBACH,

DIRECTOR.



C. H. Insunt:

I. *Volckmari* specimen novae Silvarum Statii editionis.

II. Annales Paedagogii Regii.

NORDHUSAE MDCCCLX.

TYPIS CAROLI KIRCHNERI.

1860

Specimen novae Silvarum Statii editionis.

Auctore

C. H. Volckmar.

P. Papinii Statii Silvarum

Liber I.

Statius Stellae suo salutem.

Diu multumque dubitavi, Stella, juvenis optime, et in studiis nostris eminentissime, qua parte voluisti, an hos libellos, qui mihi subito calore et quadam festinandi voluptate fluxerunt, cum singuli de sinu meo prodiissent, congregatos ipse dimitterem. Quid enim? oportet hujus quoque auctoritate editionis onerari, quod adhuc pro Thebaide mea, quamvis me reliquerit, timeo? Sed et Culicem legimus, et Batrachomyomachiam etiam agnoscimus. Nec quisquam est illustrium poëtarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit. Quid? quod haec serum erat continere, cum illa vos certe, quorum honori data sunt, haberetis. Sed apud ceteros necesse est multum illis pereat ex venia, cum amiserint, quam solam habuerunt, gratiam celeritatis. Nullum enim ex illis biduo longius tractum: quaedam et in singulis diebus effusa. Quamvis metuo, ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent. Primus libellus sacrosanctum habet testem. Sumendum enim erat a Jove principium. Ceterum hos versus, quos in Equum Maximum feci, indulgentissimo Imperatori postero die, quam dedicaverat opus, tradere jussus sum. Potuisti illud, dicet aliquis, et ante vidisse. Respondebis illi tu, Stella carissime, qui Epithalamion tuum, quod mihi injunxeras, scis biduo scriptum. Audacter mehercle; sed tamen CCLXXVII hexametros habet. Et fortasse tu pro collega mentieris. Manlius certe Vopiscus, vir eruditissimus, et qui praecipue vindicat a situ literas jam paene fugientes, solet ultro quoque nomine meo gloriari, villam Tiburtinam suam descriptam a nobis uno die. Sequitur libellus Rutilio Gallico convalescenti dedicatus, de quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri. Nam Claudii Etrusci testimonium est, qui Balneolum a me suum intra moram coenae recepit. In fine sunt Calendae Decembres, quibus utique creditur: noctem enim illam felicissimam habent et voluptatibus publicis inexpertam.

I. Equus Maximus Domitiani.

Quae superimposito moles geminata colosso
stat Latium complexa forum? Coelone peractum
fluxit opus? Siculis an conformata caminis
effigies lassum Steropem Brontemque reliquit?
an te Palladiae talem, Germanice, nobis
effinxere manus, qualem modo frena tenentem
Rhenus et attoniti vidit domus ardua Daci?
Nunc age, fama prior notum per saecula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice sacro
Dindymon et caesis decrevit frontibus Ide;
hunc neque discissis cepissent Pergama muris,
nec grege permixto pueri innuptaeque puellae,
ipse nec Aeneas, nec magnus duceret Hector.
Adde, quod ille nocens saevosque amplexus Achivos;
hunc mitis commendat eques. Juvat ora tueri
mixta notis belli placidamque gerentia pacem.
Nec veris majora putes; par forma decorque,
par honor: exhaustis Martem non altior armis
Bistonius portat sonipes magnoque superbit
pondere, nec tardo raptus prope flumina cursu
fumat et ingenti propellit Strymona flatu.
Par operi sedes: hinc obvia limina pandit,
qui fessus bellis, adscitae munere prolis,
primus iter nostris ostendit in aethera Divis.
Discitur e vultu, quantum tu mitior armis;
qui nec in externos facilis saevire furores
das Cattis Dacisque fidem. Te signa ferente
et minor in leges iret gener et Cato castris.
At laterum passus hinc Julia tecta tuentur,
illinc belligeri sublimis regia Pauli.
Terga pater blandoque videt Concordia vultu.
Ipse autem puro celsum caput aëre septus
templa superfulges et prospectare videris,
an nova contemptis surgant Palatia flammis
pulchrius; an tacita vigilet face Troicus ignis

atque exploratas jam laudet Vesta ministras.
Dextra vetat pugnas: laevam Tritonia virgo
non gravat et sectae praetendit colla Medusae,
ceu stimulis accendat equum; nec dulcior usquam
lecta deae sedes, nec si, pater, ipse teneres.
Pectora, quae mundi valeant evolvere curas,
et quis se totis Temese dedit hausta metallis.
It tergo demissa chlamys; latus ense quieto
securum, magnus quanto mucrone minatur
noctibus hibernis et sidera terret Orion.

At sonipes, habitus animosque imitatus equestres,
acrius attollit vultus cursumque minatur:
cui rigidis stant colla jubis vivusque per armos
impetus et tantis calcaribus ilia late
suffectura patent. Vacuae pro cespite terrae
aenea captivi crinem tegit ungula Rheni.
Hunc et Adrasteus visum extimuisset Arion,
et pavet aspiciens Ledaeus ab aede propinqua
Cyllarus. Hic domini nunquam mutabit habenas:
perpetuis frenis atque uni serviet astro.

Vix sola sufficiunt, insessaque pondere tanto
subter anhelat humus; nec ferro aut aere laborant,
sed genio, teneat quamvis aeterna crepido,
quae superingesti portaret culmina montis
coeliferique attrita genu durasset Atlantis.
Nec longae traxere morae: juvat ipsa labores
forma Dei praesens, operique intenta juventus
miratur plus posse manus. Strepit ardua pulsu
machina: continuus septem per culmina montis
it fragor et magnae figit vaga murmura Romae.
Ipse loci custos, cujus sacrata vorago
famosusque lacus nomen memorabile servat,
innumeros aeris sonitus et verbere crudo
ut sensit mugire forum, movet horrida sancto
ora situ meritaque caput venerabile quercu.
Ac primum ingentes habitus lucemque coruscam
expavit majoris equi terque ardua mersit
colla lacu trepidus, laetus mox praeside viso:

„Salve, magnorum proles genitorque deorum,
auditum longe numen mihi! Nunc mea felix,
nunc veneranda palus, cum te prope nosse tuumque
immortale jubar vicina sede tueri
concessum. Semel auctor ego inventorque salutis
Romuleae: tu bella Jovis, tu praelia Rheni,
tu civile nefas, tu tardum in foedera montem
longo Marte domas. Quod si te nostra tulissent
saecula, tentasses, me non audente, profundos
ire lacus: sed Roma tuas tenuisset habenas.“
Cedat equus, Latiae qui contra templa Diones
Caesarei stat sede fori, quem traderis ausus
Pellaeo, Lysippe, duci; mox Caesaris ora
aurata cervice tulit. Vix lumine fesso
explores, quam longus in hunc despectus ab illo.
Quis rudis usque adeo, qui non, ut viderit ambos,
tantum dicat equos, quantum distare regentes?
Non hoc imbriferas hiemes opus, aut Jovis ignem
tergeminum, Aeolii non agmina carceris horret
annorumve moras: stabit, dum terra polusque,
dum Romana dies. Huc et sub nocte silenti,
cum superis terrena placent, tua turba relicto
labetur coelo miscebitque oscula juxta:
ibit in amplexus natus fraterque paterque
et soror: una locum cervix dabit omnibus astris.
Utere perpetuum populi magnique senatus
munere. Apelleae cuperent te scribere cerae,
optassetque novo similem te ponere templo
Atticus Elei senior Jovis; et tua mitis
ora Taras, tua sidereas imitantia flammas
lumina contempto mallet Rhodos aspera Phoebo.
Certus ames terras, et quae tibi templa dicamus
ipse colas, nec te coeli juvet aula, tuosque
laetius huic dono videas dare thura nepotes.

Commentarius.

Statii Silvae.

Quaeritur, cur Statius carmina haec Silvas appellaverit. Gell. Noct. Att. praef. § 5 sq. dicit: „quia variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam conquisiverant, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. Namque alii Musarum inscripserunt; alii Silvarum etc." Quintilian. X, 3, 17: „Diversum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt, et sequentes calorem atque impetum, ex tempore scribunt; hanc silvam vocant: repetunt deinde et componunt, quae effuderant." Ea, quae Quintilianus habet, non cadere in Statii Silvas, patet; namque non efficiunt materiam, *ὕλην*, quam poëta primo impetu et recenti calore effudit postea disponendam, emendandam, limandam. Cum Gellio igitur putemus, Statium libros hos Silvas dixisse, quia carmina inerant miscella et maxime varia, ut in silvis arbores et frutices diversissimi nascuntur.

Liber I.

Epistola ad Stellam.

L. Auruntius Stella, patriciis majoribus ortus (I, 2, 71.), natus, ut videtur, a. 54 p. C. (cf. infra ad I, 2, 176.), Patavinus, poëta elegiacus, scripsit inter alia carmen in mortem columbae, passerem Catullianum imitans. Cf. Mart. I, 8. 62. VII, 13. XII, 3. Silv. 1, 2, 100 sq.: Hic juvenum lapsus suaque haud externa revolvit Vulnera. Ib. vs. 102: hic deflevit fata columbae. Fuit ditissimus et Romae in domo splendidissima habitavit. Uxor erat Violantilla. (Janthis; Mart. VI, 21. 47. Silv. 1. 2.) Quindecimvir fuit et aedilis curulis a. 91 p. C. (cf. infra ad I, 2, 176.) ludis sumtuosissimis triumphum Domitiani Dacicum celebravit. (Mart. VIII, 78.) Martialis, quocum Stella familiaritate junctus erat, (Mart. XII, 48 al.) ei a Domitiano consulatum impetrare studuit (ib. IX, 42.), et quum Martialis XII, 3. eum appellet consulem suum, consul saltem suffectus fuerit necesse est. De Stella cf. G. J. Voss. de poët. lat. p. 48.

qua parte voluisti, voluit autem in elegiis. — festinandi voluptate, i. e. voluptate, quam ipsa festinatio carminis extemporalis parit, quum considerata tarditas, qualem v. c. Statii Thebais prodit, facile taedium creet auctori.

fluxerunt i. e. sine ullo impedimento lapsi sunt, decurrerunt; cf. Ovid. ex Pont. IV, 2, 20.: carmen fluit.

Quid enim? sc. mecum cogitabam; cf. supra: diu multumque dubitavi.

auctoritate i. e. sponsione, quam in me recipio. (verantwortlichkeit.)

quod i. e. propterea quod. Sensus est interrogatione sublata: dixi mihi ipse: non oportet haec carmina tam festinanter composita in vulgus edere, quia adhuc cet.

quamvis me reliquerit, i. e. edita sit, utpote opus cum magna et indefessa longi temporis cura expolitum.

Culicem, a Virgilio juvenili aetate editum.

agnoscimus, comprobamus.

opera i. e. magna, velut Ilias, Aeneis. Sua haec carmina libellos vocat Statius. Cf. Mart. V, 5, 4. Prop. III, 1, 33.

illa vos certe. „Saepe scriptores Statio aequales ille ponunt pro is." F. Hand.

venia, indulgentia judicii.

gratiam; cf. Plin. ep. 1, 2, 6: Edendum autem ex pluribus caussis, maxime quod libelli, quos emisimus, dicuntur in manibus esse, quamquam jam gratiam novitatis exuerint.

in singulis diebus; cf. Cic. de nat. deor. II, 40, 102: in singulis annis.

effusa i. e. quae „quadam festinandi voluptate fluxerunt", ut supra dixit.

sacrosanctum testem (Domitianum), carmina festinanter esse composita.

dedicaverat. Markl. conjicit dedicatum erat propter vs. 99: Utere perpetuum populi magnique senatus **munere.** Sed Domitianus, utpote pontifex maximus, ipse dedicaverat statuam, vel dedicandi potestatem dederat.

mentieris i. e. aliis mentiri videberis; cf. Hand. ad h. l.

collega; cogitandum de poëtarum collegiis; cf. Bernhardy, hist. lit. rom. ed. II. p. 73. 239.

convalescenti, vulg. Valenti; Cod. Rehdiger. Gallico est Valenti. N. Heinsius conj. convalescenti, quod recepit F. Hand.

moram, spatium, tempus.

creditur. „Etiam Latini de futura re certa usurpant praesens." F. Hand.

habent sc. in se, produnt; itaque inter effusam noctis illius laetitiam carmen confectum est.

voluptatibus publicis inexpertam, i. e. qualem voluptates publicae non expertae sunt.

Carmen I.

Equestris statua Domitiani ex aere ducta, de qua nihil aliunde constat, in foro Romano jussu senatus et impensis publicis (v. 99.) posita erat anno 91 p. C., ut

videtur. (cf. Hand. p. 32.) Sed interfecti imperatoris (96 p. C.) statuas senatus detrahi et solo affligi jussit. (Suet. Dom. 27.)

1. moles est substructio, basis statuae (v. 58.); cf. Cic. Mil. 31.: insanae substructionum moles. — geminata i. e. duplicata superimposito colosso i. e. statua equestri.

2. complexa, ambitu suo occupans et implens; hyperbolice dictum. — coelo i. e. in coelo. — peractum fluxit i. e. ex aere fusum est et perfectum. Alii fluxit coelo interpretantur ita, ut sit: de coelo delapsum est.

3. Siculis caminis; cf. III, 1, 130. Non tam grande sonat motis incudibus Aetne, quum Brontes Steropesque ferit. Virg. Aen. 8, 425.

5. Germanice; Domitianus Germanici cognomen assumserat a. 84. p. C. Suet. Dom. 13.

7. Rhenus sqq. Domitianus a. 84 Cattis bellum intulit, Dacis a. 86. (Suet. Dom. 6.) — attoniti, quod se tutum putaverat. — domus ardua; Gronov. recte interpretatur (Diatrib. p. 538): „viderunt Daci in arduo monte habitantes, quorum in arduo monte sedes sunt. Florus lib. IV, 12: Daci montibus inhaerent.“ Cf. v. 80.

8. fama prior, ap. Mart. 1, 39. fama anus. Lib. de spect. 7. fama antiqua. Est i. q. antiquitas, historia antiquitatis. Cf. Theb. IV, 32. — nomen Dardanii equi i. q. Dardanius equus. De hac periphrasi cf. Markl. et Hand. ad h. l. Apud Graecos ὄνομα eodem modo usurpatur. —

10. Dindymon, mons Cybelae sacer in Mysia prope Cyzicum. — decrevit; cf. imitationem Sidon. Apollin. 9, 115.: Nec Phryx pastor erit tibi legendus, Decrescens cui Dindymon reciso Fertur vertice texuisse classem. Petron. c. 89.: Quum, Delio profante, caesi vertices Idae trahuntur scissaque in molem cadunt Robora, minacem quae figurarent equum.

11. discissis, quod Codd. et editiones habent. Markl. conjecit discussis, quod Hand. recepit; sed nihil causae est, cur verbum illud removeatur. — Pergama, cf. Hom. Od. VIII, 504 sqq.

12. pueri etc., cf. Virg. Aen. II, 238.: Pueri circum innuptaeque puellae sacra canunt, funemque manu contendere gaudent.

14. nocens; Virg. A. 2, 31.: Donum exitiale Minervae.

16. notae belli, oris habitus militaris. Anacr. 29, 13. μέλαν ὄμμα γοργὸν ἔστω κεκεράσμένον γαλήνῃ. Theb. 4, 744. regales tamen ore notae. Achill. 1, 309. Sil. It. 8, 559. de Scipione: Martia frons . . . . . flagrabant lumina miti Adspectu, gratusque inerat visentibus horror.

18. honor, gratiosa dignitas oris. — exhaustis armis, cf. Virg. Aen. 4, 14.: bella exhausta canebat. N. Heins. conj. exutis, quod Markl. et Hand. recepenunt. Sed cavendum, ne Statium cultiorem reddamus, quam revera est. Dübner.

et Queck. retinuerunt exhaustis. — altior; sic cod. Rehdig.; alii altius; Bernartius conj. amplior, Calderin. amplius. Cf. Lucan. 8, 295.

21. ingenti propellit cet. i. e. undas Strymonis flatu ingenti propellit a litore, in quo equus Martis citato cursu ruit; hyperbolice dictum.

22. par operi i. e. opere digna. — hinc obvia cet. Respicit ad divi Jul. Caesaris templum in foro ab Octaviano, Lepido, Antonio exstructum a. 42 a. C. Becker, handb. der röm. alterthümer I, 358.

23. fessus i. e. satiatus; Hor. Od. 1, 2, 37. de Marte: Heu nimis longo satiate ludo (sc. bellico). — adscitae prolis, adoptati Octaviani. Plurimi libri adsertae; Rehdig. adsectae; Cod. Lipsii et ed. Ven. adscitae, quod Gronov. primus recepit.

24. Jul. Caesar erat primus imperator inter divos relatus.

26. externos, externorum populorum.

27. fidem, tutelam. Cic. Catil. 3, 4.

28. gener sc. Jul. Caesaris, Pompejus Magnus. — minor, minorem se confessus, ut est Theb. XI, 666. Cf. Hor. ep. 1, 10, 35. Val. Flacc. VII, 349. — in leges iret i. e. conditiones acciperet, in fidem et potestatem se committeret; cf. Val. Max. 3, 8, 4.: in exilium quam in legem ire maluit. Justin. 12, 3.: in leges transire. Ovid. ep. 4, 62. Thebaid. 5, 233. Virg. Aen. 4, 618. Lucan. 9, 238. Gronov. in leges vult esse i. q. contra rempubl. — castris iret i. q. e castris iret, decederet, arma deponeret; cf. Ov. Fast. 6, 785.: rediens male sobrius aede. Claudian. praef. in libr. de II. Consul Stilicon. v. 11.: castrisque solebat omnibus in medias Ennius ire tubas. Idem de VI cons. Honor. 251. Virg. Aen. XII, 516. VI, 191. V, 216. Val. Flacc. V, 246. 244. 269. Verbum cedere saepius ita construitur, Cic. Mil. 25 fin. patria cedere; id. Phil. 10, 4, 8.: Italia cedere. Sic etiam loco, foro cedere. — Ad totum locum cf. Claudian. cons. Mall. v. 163. Mart. XI, 5. de Trajano:

> Te colet invictus pro libertate Camillus,
> aurum Fabricius, te tribuente, volet;
> te duce gaudebit Brutus, tibi Sulla cruentus
> imperium tradet, cum positurus erit;
> et te privato cum Caesare Magnus amabit,
> donabit totas et tibi Crassus opes.
> Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris
> si Cato reddatur, Caesarianus erit.

29. Julia tecta i. e. basilica Julia ad lacum Servilium. Mart. VI, 38. Sachse, beschreibung Roms 308. Alii legunt templa, non tecta; sed illi lectioni obstat v. 22; cf. Becker, handb. der röm. alterthümer I, 358. — laterum passus i. q. Theb. 4, 173.: lat. tractus. Sil. Ital. 4, 618.: lat. extentus.

30. regia Pauli est basilica Paulli s. Aemilia in orientali fori latere. Aedificata est a. 179 a. C. a censoribus M. Aemilio Lepido et M. Fulvio; cf. Becker l. l. p. 301 sqq. Anno 55. L. Aemilius Paullus eam restauravit.

31. pater i. e. Vespasiani templum, haud procul ab aede Concordiae in foro ad Capitolium versus situm. Sachse l. l. 702. — blando vultu; Concordiae statua sereno vultu insignis fuisse vid tur.

34. Palatia. Ex h. l. patet, non multo ante Palatium, vel certe partem Palatii deflagrasse. De magnificentia operum, a Domitiano in monte Palatino exstructorum cf. Plut. Poplic. 15. Silv. IV, 2. Sachse l. l. 823. Becker l. l. p. 433.

35. tacita, secreta, arcana. Ov. Fast. VI, 297.: Ignis inexstinctus templo celatur in illo. — Troicus ignis; Virg. Aen. 2, 296. Aeneas ab Hectore secum asportandos accipit Penates Trojanos, simulacrum et ignem aeternum Vestae. Juv. 4, 60.

36. Cf. Suet. Dom. 13. 8.: Incesta Vestalium virginum, a patre quoque suo et fratre neglecta, varie ac severe coërcuit, priora capitali supplicio, posteriora more veteri (sc. defodiendo). Plin. ep. 4, 11. Cornelia Vestalis defossa est a. 91.

37. Dextra vetat pugnas. Quintil. inst. or. XI, 3, 119.: „Fit et ille habitus, qui esse in statuis pacificator solet, qui, inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso manum infesto pollice extendit." Glossae codicis Paris. habent: „porrecto dextro brachio et extenta manu, paululum curvatis digitis, vola spectante terram antiqui significabant pacem, qualis imago conspicitur Romae in foro Constantini. In laeva manu erat imago Palladis."

38. non gravat. Minervae, quam Domitianus „superstitiose colebat" (Suet. Dom. 15. Dio Cass. 67, 1.), statua „non gravat" laevam, quia haec propter pondus et divinitatem suam facile deam gestare valet. Tribuebant autem veteres deorum imaginibus quamvis parvis mirificum pondus quoddam; cf. v. 58. Ovid. Met. IX, 273. Claudian. in IV cons. Honorii v. 573:

penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem: sed plurimus infra
Liniger imposito suspirat vecte sacerdos,
Testatus sudore Deum. (Cf. Gronov. Diatrib. p. 60 sq.)

39. accendat; Codd. accendit, ex Aldina vulg. accendat. Ceterum cf. Aesch. Eum. 382. Hes. scut. Herc. 343 sq. In moneta Caracallae tempore signata apparet Minerva quadrigas agitans et aegida versus equos protendens; cf. Wieseler in Philologo VII, 1, 134 sq.

40. pater i. e. Jupiter.

41. Pectora sunt tanta, quae valeant cet. — evolvere cet. i. e. mundi curam sustinere; cf. Sil. 3, 216.: Promissa evolvit somni i. e. mente agitat.

42. Temese, urbs Bruttia cum aerifodinis. Significat versus, in pectus formandum immensam aeris Temesaei copiam esse collatam.

43. quieto, in vagina recondito.

44. securum, periculum non facessens. — quanto mucrone i. e. ensis Domit. tantus est, quantus Orionis; cf. Ovid. Met. 8, 207. Nec te spectare Booten Aut Helicen jubeo, strictumque Orionis ensem. De magnitudine Orionis Virg. Aen. X, 764 sqq. — noctibus hibernis, quia his potissimum Orion fulget.

46. at. „Etiam Statius saepe ponit at in transitu ad alia, quorum admirationem moveat; sic v. 29. et I, 2, 260. Tibull. II, 6, 33." Hand. — equestres i. e. equitis; cf. Theb. I, 1. fraternae acies.

48. vivus impetus i. e. vehementior musculorum commotio.

50. terrae vacuae, nulla re tectae.

51. Rheni Amnis; cf. ad v. 7. — aeneae; hanc Codd. lectionem Markl. mutavit in aerea, quoniam Bentl. ad Hor. Serm. II, 3, 183 notat, aeneus trisyllabon nunquam occurrere apud poëtas veteres. Sed Codd. auctoritatem vel Bentlejo superiorem habeo. — tegit; sic Codd. omnes; Bernartii conjecturam terit omnes post Gevartium editores receperunt.

52. Arion equus a Neptuno procreatus, ab Hercule Adrasto, Argivorum regi, donatus. Paus. 8, 25, 5. Theb. VI, 301 sqq.

53. Cyllarus, equus Castoris, Ledae filii. — aede prop. Aedes Castoris et Pollucis in foro Rom. post pugnam ad lacum Regillum a. 496 a. C. vota et a. 484 dedicata est, Liv. 2, 42. Becker, antiq. Rom. I, 298.

54. mutabit; Codd. et editiones veteres mutavit; Bernart. conj. mutabit, quod receperunt Gronov. et Markl., immerito sprevit Hand. Poëta dicit, Domitiani equum non mutaturum esse habenas domini, quemadmodum Arion fecerit, cujus domini deinceps erant Neptunus, Copreus, Oncus, Hercules, Adrastus.

55. perpetuis frenis, Cod. Rehdiger. perpetuus, quod Markl. conjectura invenerat, jungens cum antecedentibus, interpunctione post habenas sublata, et interpretans ita: tuis frenis, tibi perpetuo inserviturus. Sed languent haec. Sensus est: perpetuo iisdem sc. Domitiani frenis serviet. — uni astro, non duobus, ut Cyllarus, qui et Castori et Polluci alternatim serviebat. De astro cf. v. 98. Imitatur hunc locum Claudian. IV cons. Honor. v. 554 sqq.

57. subter anhelat humus, Hom. Il. 2, 95. ὑπὸ δ' ἐστεναχίζετο γαῖα. — laborant; sic Codd. Markl. et Hand. receperunt laborat, jam a Bernartio et Behotio emendatum; sed non video, cur non verbum etiam ad sola referatur, quum sufficiunt h. l. significet: portare valent.

58. genio i. e. numine Domitiani; cf. ad v. 38. — teneat sc. genium. — aeterna crep., firmissima basis. Sensus est: quamvis genii pondus proxime premat

basin. Ne Statium ineptire putemus, in animum inducamus, pondus illud esse mysticum quoddam, numinis divinitate, non vero et naturali onere ortum. —

60. durasset, *ἀντέσχεν ἄν.*

61. nec i. e. tamen non; cf. I, 2, 128. Hand. — traxere sc. laborem, opus. —

62. Dei forma est i. q. Deus (Domitianus); cf. v. 73. Anno 91. Domit. se dominum ac deum appellari jussit. Suet. Dom. 13. Eutrop. VII, 15. Ad circumlocutionem forma Dei cf. Ovid. Met. I, 73. II, 78. Virg. Aen. 7, 18. Simili modo Graeci utuntur voc. *πρόσωπον.*

63. ardua machina, qua statua equestris sublata crepidini imponitur.

64. montis; sic Codd. Vratisl. (Rehdig.) Leid. Paris.; alii Codd. montes; editoribus utrumque ex v. 59. illatum aut margini adscriptum esse videtur ad illustrandam vocem culmina. Gron. conj. Martis, Markl. multus aut longus, Heins. molis, Scriver. montesque, F. Jacobs. motus, F. Hand. coelo, quod F. Dübnerus longe plurimum speciei habere dicit. Lectio montes esset appositio ad culmina haud tolerabilis; montis penderet a voce fragor et significaret arduam machinam montis instar eminentem, nec video cur haec hyperbole ap. Statium ferri nequeat.

65. figit; sic edit. princ.; Codd. fingit; N. Heins. conj. vincit, quod receperunt Markl., Hand., Queck. al. Quid sit fingit h. l., nemodum explicavit. Videamus, an figit sensum habeat. Machinae percussae fragor figit vaga murmura urbis i. e. fixa reddit vaga murm., efficit ut non jam vagentur per urbem, ut comprimantur; silescit igitur urbs, quoniam fragor ille omnium animos ad se convertit. Cf. Mart. XII, 57.

66. loci custos i. e. M. Curtius, qui illo loco equo insidens in voraginem se immisit a. 362 a. C., cf. Liv. VII, 6. Locus inde lacus Curtius appellatus esse dicitur. Sed idem Liv. I, 13 refert, ex Metto Curtio (a. 745 a. C.) lacum nominatum esse. Cf. Varr. L. L. IV, 148 sqq. Suid. s. v. *Λίβερνος* dicit: *συνελθούσης δὲ τῆς γῆς ἡρωϊκὰς τιμὰς τῷ ἀνδρὶ κατὰ μέσην ἀγορὰν Ῥωμαῖοι ἀνὰ πᾶν ἔτος ἐπιτελεῖν διέγνωσαν, τόν τε τόπον Λίβερνον ἐπεκάλεσαν βωμὸν οἰκοδομήσαντες.* Ovid. Fast. VI, 403: Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras, Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit. Suet. Aug. 57. Becker, ant. Rom. I, 283.

67. famosusque lacus — servat; alia lectio est famosique — servant, quam Markl., ut sibilus vitaretur, praetulit. Sed Markl. in ea re fastidiosior est Statio; cf. modo v. 68. 73. 91. 97 al.

68. crudo; sic Codd. Markl. conj. crebro, Scalig. surdo, Burmann. duro. Sed crudus est rudis, durus, crudelis, ferus; optime igitur adhibetur ad acrem percussionem significandam. Amantissimus hujus vocis est Statius. Theb. VIII, 432 de Eurota dicit: crudi torrentis; cf. XI, 414. XII, 762. Achill. I, 276. al. Ad nostrum

locum veteris libri glossa adnotat, „durum, instantem et furibundum crudi voce notari“; cf. Barth. ad h. l.

70. situs sanctus, squalor venerationem expostulans. — quercu. Ob cives servatos Curtius coronam quernam meruerat.

72. majoris sc. solito.

73. lacu. Quum lacus non jam esset in foro conspicuus (cf. ad v. 66.), Statius eum sub terra latere finxisse videtur. — trepidus; cod. Rehd. trepidans, quod receperunt Markl. Hand. Queck.

74. proles cet. Virg. Aen. 9, 642: Dis genite et geniture deos. Sil. It. 3, 625. Claud. de nupt. Honor. 252.

75. longe, in profunditate lacus mei.

79. bella Jovis i. e. bellum Capitolinum a. 69 p. C.; Suet. Dom. 1. Tac. hist. 3, 71. — Rheni, cf. ad v. 7. —

80. civile nefas, bellum civile a Lucio Antonio, superioris Germaniae praeside, a. 89. motum, Suet. Dom. 6. Cf. Claud. in Rufin. II, 389. — montem i. e. Dacus; cf. ad v. 7. III, 3, 169. Theb. 1, 20.

81. domas, zeugma; nam ad antecedentia (bella, praelia) sumi non potest domare, sed aliud verbum, velut profligare, supplendum. Mihi Statius de consulto verbum domare usurpasse videtur, ut alluderet ad nomen imperatoris; vide quae notavi ad Mart. VII, 7. in Poëmatiis lat. a. 1852 a me editis p. 73. Cf. Mart. II, 2. IX, 7. —

82. me non audente i. e. ego non ausus essem tibi praeripere gloriam. — profundos; cod. Rehd. profundo. Markl. profundo lacu conj. sibilum aversans. Ceterum cf. Theb. VIII, 513. Tartara isses. Zumpt. gramm. lat. §. 401.

84. Latiae Diones, Veneris genetricis, (Ov. Fast. 2, 461. A. A. 3, 3. Serv. Virg. ecl. 9, 47.) cui Jul. Caesar templum aedificavit in foro suo, Suet. Jul. Caes. 6. 78.

85. traderis ausus sc. esse; sic omnes Codd. Aldus edidit tradere es ausus, quod omnes editores receperunt, exceptis Handio et Queck. Simili modo dicitur facinus, fraudem audere. —

86. Pellaeo duci, Alexandro M., Pellae nato. — Lysippus, aequalis Alexandri M., cujus permultas fecit statuas; cf. Sillig, catal. artif. p. 252 sqq. — Caesaris i. e. Neronis, id quod concludere licet ex verbis Plin. h. n. 34, 8, 19: (Lysippus) fecit et Alexandrum M. multis operibus, a pueritia ejus orsus. Quam statuam inaurari jussit Nero princeps, delectatus admodum illa. Cf. Statii aurata cervice. — ora; igitur caput Neronis Alexandri cervici impositum erat. Tale quid saepissime factum. Sic Herculis statua Domitiani, Neronis colossus Solis faciem accepit. Mart. IX, 68.: Postquam pulchra Dei Caesaris ora geris. Suet. Vesp. 18. Ner. 31. Cf. Casaub. ad Suet. Tib. 57. Hieronym. c. 3. Habac. — Verba quem traderis — tulit multi eliminanda esse putaverunt (Heins., Scriver., Gevart., Markl. al.), equum,

cujus mentio fit v. 84., Jul. Caesaris statuam equestrem, ante Veneris Genetricis templum locatam, (Plin. h. n. VII, 42.) significare rati, acsi praeter illam non aliae quoque statuae equestres in isto loco collocatae esse potuissent. Neque Becker, ant. Rom. 1, 369. rem perspexit.

87. Vix lumine fesso. „In hoc colosso oculos tantopere fatigabis, ut vix explores, quam longus sit despectus ad illum. Sic infra IV, 2, 30: fessis vix culmina prendas visibus.“ Hand. Etymol. magn.: *Κολοσσὸς παρὰ τὸ κολούειν, ὅ ἐστιν ἐλαττοῦν, τὰ ὄσσα, τοῦτ' ἐστι τοὺς ὀφθαλμοὺς, διὰ τὸ μέγεθος, ὡς μὴ ἐφικνουμένων τῶν ὀφθαλμῶν ὁρᾶν.*

90. regentes sc. equos. Intelligit Domitianum et Neronem.

91. Jovis ignem; cf. Ov. Met. 15, 871.

94. dum Romana i. e. imperii Romani dies i. e. tempus durabit; cf. Mart. 9, 2: Manebit altum Flaviae decus gentis Cum sole et astris cumque luce Romana. — huc; Codd. hoc, Ald. huc, quod receperunt editores.

97. natus. Ex Domitia uxore filium tulerat a. 73 p. C. (Suet. Dom. 3.)

98. soror, Domitilla (Suet. Vesp. 3.) jam ante Vespasiani obitum fato perfuncta. — astris, hominibus inter sidera receptis, diis. Lucil. Aetn. v. 51. Manil. Astron. IV, 936.

99. magni senatus, cf. Sil. It. XI, 67. XVII, 9.

100. scribere, pingere; Gronov. Diatr. p. 431.

101. similem te i. e. imaginem tuam; Juv. 2, 6. Gronov. Diatr. p. 69. 71. — novo i. e. in augustiore templo. —

102. Atticus senior, Phidias; cf. I, 3, 94. II, 1, 90.

103. Taras, Tarentum, ubi Jovis erat statua colossea, de qua Plin. XXXIV, 7, s. 18: Talis colossus et Tarenti factus a Lysippo XL cubitorum. Sillig, catal. artif. p. 257 sq. — mitis dicitur Taras, quod pacis studia colit. Namque ibi *ἐξίσχυσε τρυφὴ διὰ τὴν εὐδαιμονίαν.* (Strab. VI, cap. 3. pag. 47 ed. Tauchn.) Cf. Hor. Sat. 2, 4, 34. molle Tarentum. Ep. 1, 7, 45. imbelle Tarentum. Sic apud Stat. Theb. 1, 334. mitis Corinthos. II, 382. mitis Eleusis. Cf. ad. Silv. I, 2, 98.

103. tua sidereas cet. Haec ita extulit propter Solis colossum Rhodium, de quo Plin. l. l.: quem fecerat Chares Lindius, Lysippi discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. O. Müller, archaeol. p. 151 sq. ed. II.

104. aspera Rhodos; bellicosa enim erat (cf. Virg. Aen. I, 14 de Carthagine: studiis asperrima belli); *ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλε,* Strab. XIV, 2, pag. 194 ed. Tauchn. Philostr. imag. II, 24. *τραχὺς οὗτος καὶ νὴ Δί' ἐν τραχείᾳ τῇ γῇ. Ῥόδος γὰρ αὕτη ἡ νῆσος, ἧς τὸ τραχύτατον Λίνδιοι.* Cf. C. O. Müller, Dor. II, 151. Vespasianus Rhodum in provinciae formam redegit a. 72. Suet. Vesp. 8. Quaesita adulatio inest in verbis, quum poëta Domitianum et Rhodiis belli-

cosis et Tarentinis pacis amantibus pariter carum esse dicat. Cf. A. Imhof, Flavius Domitianus. Halle 1857. p. 137.

105. certus, „constanti animo ac firmo in terris manendi consilio. Calpurn IV, 145 sq.“ Hand.

107. laetius; sic Codd. Post Aldum editores laetus, quod Hand. recte rejecit, lectionem ita interpretans: laetius videas huic muneri sacrificare nepotes, quam ut adscendas in coelum. — dare thura. Plin. Pan. 52, 3. 4. Epist. X, 97, 5.

Pag. 4. vers. 10. corrige frondibus.
„ 16. „ 16. „ Dacos.

